

153-314

Viro Clarissimo et Doctissimo  
IOANNI HENRICO LIESCHIO.  
S. P. D.

Hermannus Sam. Reimarus.

Quaquam me valetudo anceps diu satis à literarum commercio  
revocavit; tamen differendum non putavi amplius, quo minus signi-  
ficarem, elegantem omnino et veram mihi visam esse emendationem  
Tuam loci Dionis, quam perscripseras, pace Tua, nec sine nominis  
Tui commemoratione, variis lectionibus, inferendam, mea prorsus re-  
jecta. Illud interim scire Tibi forte non injucundum fuerit, vidisse  
me specimen Dionis Falconiani, quod continetur libro VI. pp. 86. et  
87. de Valerio Poplicola agens, subjuncto Zonara. Transmittebat simul  
Em. Cardinalis epistolam ab Halo quodam erucito ad Ipsum scriptam,  
quae habebat, non videri Dionis stilum esse, sed monachi cujusdam  
aut epitomatoris barbarorum saeculorum. Mihi tamen perlecto eo,  
adeo nihil barbarum occurrebat, ut ex vetere petito<sup>re</sup> Scriptore statim  
suspicaret. Nihil ergo magis proum erat, quam Plutarchum evol-  
vere. Quid multa? paucis transmisit, deprehendo hominem in ipso  
furto. Nam à prima inde vocula — πῆγδονορ ὄνδ' ἀνιόδαβαρ, usque  
ad postrema ἴωε καὶ Πονδικόλας, omnia ad verbum, una cum ipsis  
erratis editionis, et versione latina, huc translata sunt ex Plutarchi  
Poplicola p. 101. F. sq. Hinc conjecturam facile capies de reliquis, et  
miraberis forte mecum Viri temeritatem, qua imponere saeculo huic  
ausus est centone ejusmodi: certe vides, quid mihi metuendum sit  
ab ejus minis, aut eorum qui causam ejus suscepisse dicuntur. excudit

jam ante Dionem ampla Prolegomena, in quibus tamen Codicem ex quo  
 hæc petierit, non nominat. Opus lente procedere dicitur, ut intra VI.  
 annos vix absolvi posse videatur. Ecquando autem mi Leichi vide-  
 bimus Tuum scriptorem Byzantinum? Patere enim, ut ego vel  
 maxime cunctator, Stimulos Tibi addam. Scito tamen hoc ipso  
 anno ultimam à me manum Dioni imponendam esse; quod  
 ut et Tu facias, quam primum licet, etiam atque etiam hortor.  
 Vale. Dabam D. XV. April. A. MDCCCXLVII.



Monsieur  
Mons. Jean Henr. Leich  
Maitre es Arts très Celebre  
à  
Leipzig

315v